



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXIII. Si motu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

væ in impetratione alterius beneficii mentione facienda est secundum Gl. receptam hic V. preferri Francum in c. sequente n. 6. & constat ex ijs, quæ antea dixi hoc tit. in c. non potest.

CAPITULUM XXIII.

Si motu.

PARAPHRASIS.

Si Papa Clerico obtinenti beneficium, proprio motu alterum beneficium conferat, non factâ mentione beneficii prioris, non idè gratia hæc pontificia, quæ ex mera liberalitate processit, subreptitia censenda est. Verùm si talis gratia facta sit ad petitionem Clerici, vel ab altero pro ipso oblatam, tunc quantumcunque modicum beneficium in petitione taceatur, gratia seu concessio subreptitia erit: tunc autem proprio motu gratia concedi dicitur, cum id in literis expressum est.

SUMMARIUM.

1. Vitium subreptionis opponi non potest gratia, motu proprio concessa, ob veri taciturnitatem.
2. Nisi taciturnitas jus tertij respiciat.
3. Neque tollitur per motum proprium subreptio per expressionem falsi.
4. Si ad instantiam obtenta sit gratia, neque subreptio ob veri taciturnitatem tollitur.
5. Non tamen censetur, motu proprio, concessa gratia, nisi exprimat concedens.
6. Utrum per clausulam: ex certa scientia: tollantur personæ inhabilitates?

NOtandum primò. Si gratia motu proprio Superioris concessa sit, ad eam enervandam, non potest vitium opponi subreptionis ob taciturnitatem veri: explicari debent singulæ particulæ hujus notandi. Primò, loquimur de gratia Superioris, & non solius Papæ, aut Principis, nam etiam in Legato, & alijs ordinarijs doctri-

na hæc locum habet, secundum Gl. receptam in c. ult. v. mentio de officio Legati in 6. Franc. hic. n. 1. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 21. n. 48. ubi ait, clausulam, motu proprio, magis convenire ordinarijs locorum, quippe, qui majorem personarum suæ Diæcesis cognitionem habent, & idè subreptio propter taciturnitatem veri facilius excludi potest.

Secundò dictum est, ad enervandam gratiam non posse opponi vitium subreptionis; nam alia vitia gratiæ opponi possunt per viam juris communis, sicuti hic notat Joann. And. n. 1. Anchoran. not. 2. Gl. in Clement. si Romanus V. valdam hoc tit. Sanchez lib. 8. disp. 21. n. 49. ubi aiunt, licèt clausula, motu proprio, subreptionem tollat, tamen inhabilitatem personæ non tollit, nec dispensationem inducit, v. g. super ætate, irregularitate, natalium defectu, beneficiorum incompatibilitate: probari debet ex eo, quia clausula, motu proprio, non ampliat intentionem concedentis, gratiam probabiliter præsumptam, juxta G. in Clement. 2. v. directas hoc tit. Abb. in c. ad aures n. 5. de rescriptis. Syl. v. rescriptum. q. 6. Sanchez n. 51. At verò in dubio, & nisi aliud in rescripto, lege, statuto, vel quavis dispositione indicetur, intentio disponentis, aut concedentis censetur esse conformis juri communi. Quia etiam supra dixi in c. non potest 21. not. 3. hoc lib. & tit. quòd in dubio gratia Principis dispensationem contra jus non inducat.

Hinc collige, si taciturnitas respiciat jus tertij, subreptionem non tolli per clausulam, motu proprio, sicuti docet Abb. in c. ad aures n. 5. Felin. n. 50. de rescriptis. Franc. hic n. 6. Sanchez n. 50. v. g. si taceatur, quòd beneficium sit juris patronatus; vel quòd beneficii junio facta sit per Ordinarium, licèt ea effectum non dum consecuta sit, vel quòd statutum particulare repugnet, qua de re regula traditur apud Sanchez: quòd motus proprius, jus in re vel ad rem alteri quæsitum non auferat.

3. Tertio dixi, per eam clausulam tolli subreptionem ex taciturnitate veri, non item tollitur subreptio per expressionem falsi, sicuti docet *Abb. in c. quia circa n. 7. de consanguinitate. Sanchez cit. disp. 21. n. 52. & alij.* Ratio est, quia clausula motus proprii, non operatur ultra intentionem concedentis, & verò allegatio falsi, si ea, ut ponimus, causa concedendi est, satis significat, non adfuisse veram concedendi voluntatem, cum ex errore processerit, errantis autem non sit consensus. *L. 9. c. de iuris & facti ignorantia.*

4. Notandum secundò. Si Princeps gratiam concedat ad petitionem, seu instantiam alterius, subreptionis vitium opponi potest, ostendendo veritatem, aut circumstantiam aliquam, quæ in petitione necessariò exprimenda erat, dissimulatam fuisse, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 17.*

Dicitur autem Princeps facere gratiam ad instantiam, seu petitionem alterius, quando eam impellitur Princeps ad concedendum; alioquin verò nihil impedit petitionem antecessisse, & non ex ea, sed proprio motu, aut merà benevolentia impulsus, concessisse, sicuti ex communi tradit *Gl. finalis hinc. Menochius in arbitrarijs casu 201. n. 8. & docui cit. tract. 4. c. 23. n. 8.*

5. Notandum tertio. Non censetur Princeps gratiam ultro, & non ad instantiam alicujus concedere, nisi exprimat, quòd motu proprio concedat. Ita ex communi *Anchoran. hic not. 5.* Nam motu proprio gratiam dari aliud non est, quàm Principem nullius precibus motum esse ad concedendum: id autem, cum in negatione consistat, aliter probari non potest, nisi per Principis assertionem, prout *Sanchez notavit lib. 8. disp. 4. n. 5.*

6. Sed dubitatur. Num ad hoc, ut Princeps beneficium, privilegium, aut officium conferens, impedimentum seu inhabilitatem scire censetur, necessarium sit exprimi clausulam *ex certa scientia*? Ita affirmat *Gl. in c. statutum post principium v. literarum de rescriptis in 6. & in Clement. 2. in fine co-*

dem tit. Sed contrarium est asserendum cum *Menochio lib. 2. de presumptionib. c. 20. n. 7. Mascardo de probationib. con. 845. n. 23. Sanchez lib. 8. disp. 4. n. 5.* satis esse, undecunque constare, aut à privilegiato, vel promotò ostendi, quòd Princeps vel Superior inhabilitatem cognitam habuerit; nam hoc ipso, quòd Princeps inhabilem secundum jus positivum, in quo ipse dispensare potest, admittit, aut promoveret, impedimentum tollere censetur, sicuti docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 7.* Imò verò nec sufficit clausulam exprimi, *ex certa scientia*, ut Princeps juris positivi inhabilitates à persona tollere, seu in ijs dispensare censeatur velle, prout bene annotavit *Menoch. n. 3.* quia in dubio non præsumitur Princeps velle subvertere legis dispositionem *L. si quando 35. c. de inofficioso testamento, & clausula ea, ex certa scientia*, solum operatur circa substantiam gratiæ, supposità personæ habilitate, non autem operatur circa extrinseca probabiliter ignorata, sicuti *ex Felino in c. cum inter. 5. v. intellige. de exceptionib. tradit Menoch. cit. loco n. 5. Sanchez cit. disp. 4. n. 6.*

CAPITULUM XXIV.

Si pluribus

PARAPHRASIS.

Vacabant in Ecclesia quadam plures dignitates, & præbendæ; Papa ejus rei ignarus scripsit pro Titio indeterminatè, & in genere, ut si qua dignitas, vel præbenda, nulli alteri debita, vacaret, ipsi conferretur, dubitatum fuit, num dignitatem, vel præbendam, quæ majoris valoris est, an eam, quæ minoris vi ejus rescripti Titio conferri oporteret. Respondet Papa, si gratia motu proprio emanavit, cum plenissima ejus interpretatio fieri debeat, referendam esse ad dignitatem, vel præbendam digniorem; sin autem æquales sint, assignandam esse Titio, quam is inter decem dies post notitiam, de ejus vacatione accepta elegerit; sin au-